



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-538213-p0001-2

DFG




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-538213-p0002-7

DFG





1686.

- 1^o Coccejus, Henricus : De commissis, ubi de mercibus
contraband, vnde Contrabante-Wahren.
2. Spino, Iohannes, de : De rescriptis moratoriorum
3. Spino, Iohannes, de : De donationibus conjunctorum
4. Teator, Dr. Wolfgang : De conscientia iudicis
5. Teator, Dr. Wolfgang : De opistographo.

1687.

- 1^o Coccejus, Henricus : De ratione iusticie cum in
genere tam in specie statuum imperii
2. Coccejus, Henricus : De coniugio inaequali perso-
narum illustrium . Anno 1714.
3. Coccejus, Henricus : Tractatio bellic et pacis in stato
regni Portugallici fundata sine historia Portugalliae
4. Coccejus, Henricus : De jure subtractis . Tom. Vom Alzey-
Reich, Nachstetos, Zetende - Benning .



5. Tector, Ioh. Wolff: *De successione regum et principum, fons illarumque illustrissim.*

1688.

1. Brunnarus, Ioh. Cossatus: *De glandula pituitaria*
2^o 16. Coccejus, Henricus: *De jure alluvionum in
imperio.* 2 Scand. 1688 - 1707

1690.

17^o 2^o Tector, Ioh. Wolff: *De criminibus ambitorum.* 2 Scand.
1690 - 1724

1710

Prenelius, Iwanus Lelius: *De eo, por quem stetit vel
non stetit.*

1712

17^o 2^o Hartung, Iohann Fredericus: *De ventre illiusque
jure. — 2 Scand 1719 - 1738*

1714.

Besserer, Iohan Petrus: *De restituione in integrum*



adversus sententiam in appellatis.


1734.

Hertling, L. Fridericus: Regalis Palatinus sine de
precipuis Serenissimae domus Palatinæ iuribus pre-
rogativis ac præminentibz.

1736

1^{er} - 2nd Tief, Franciscus: Veritas communis opinionis
circa pactum de non prostante erictione. 2 Exempl





1686, 4
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
DE
CONSCIENTIA⁷³⁶
JUDICIS,
AUSPICE DIVINO NUMINE^{2VAM}
Ex DECRETO Et AUTHORITATE
MAGNIFICI AC AMPLISSIMI JCTORUM
ORDINIS IN PERVETUSTA ATQVE CELEBERRIMA
ELECTORALI ACADEMIA HEIDELBERGENSI
SUB PRÆSIDIO
VIRI AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI AC
CONSULTISSIMI
DN. JOH. WOLFGANG.
TEXTORIS,
JCTI ANTECESSORIS JURIS ET CONSILI-
ARII ELECTORALIS PALATINI
SUMMIS IN UTROQUE JURE HONO-
RIBUS ET PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS
Publico Eruditorum Examini subjicit
JOH. CHRISTIANUS ELWERTUS,
Idsteinio-Nassoicus.
Die Augusto M DC LXXXVI. h. l. q. f.

HEIDELBERGÆ,
Apud JOH. DAVID. BERGMANNUM, Walterian. Heredem,
ELECT. & ACAD. Typogr. 19
33



D E O
P A T R I A E.
E T
A M I C I S.



Proæmium.

Seculo hoc nostro non minus litigioso quam malitioso, quod sane plus scientiæ quam conscientiæ habet, eo jam deuentum post Ventur. de Valent. conqueritur, Carpzov.

Def. For. p. i. c. i. Def. i. Quod Judicibus ferme licentia sit tributa, ex libitu ac propriorum affectuum motu judicandi. Verum huic malo non minimum contribuere, variarum opinionum conflictum, mehercule plus nimio constat. Attentis enim tot tractatibus & communibus opinionibus, & magis communibus, imo Doctoribus attestantibus communem esse pro una parte, aliisque certiorantibus, magis communem esse pro alia, idque in iisdem articulis & terminis; Nonne perversis Judicibus sufficiens aperitur occasio, lites dirimendi ex propria affectuum cœcitatem, & quidem sub fuso ac prætextu conscientiæ? Vid. Neviz. in Sylv. Nupt. fol. 179. Nonne & bonis judicibus varietas hæc opinionum ac alia irritamenta subinde nocent ac scrupulum movent, ut nonnunquam hæreant, in quamnam partem condescendere quamnam sententiam tanquam æquiorem ac conscientiæ convenientiorem præeligere debeant? Constitui mecum, occasione horum, pauca de conscientia Judicis loco Disputationis Inauguralis differere, ita tamen ut ex innumeris quæ alias ad hanc materiam referri possent utilissima mihi juxtim ac jucundissima (quantum ingenii vires largitæ fuerint) se ligam, quod propositum Judex omnium justissimus divina sua cooperatione secundare velit.

§. I.

Deo duce initium faciens antequam ad rem ipsam me accingam, videntur secundum consilium Ulpiani l. 1. ff. de I. & I. prius aliqua de voce conscientia præmittenda. Unde vero ea dicatur Auctorum sententia variat, alii quasi concludentem scientiam, alii quasi cordisciam, alii vero quasi scientiam cum aliis dictam volunt, quia aliquid delinquens, scientiam delicti habet, Deum. Job. 6. 16. 20. Angelos, quandoque homines

A 2

nes

mes omnia enim tandem dies revelat. Nobis non incongrua videtur illa denominatio, qua conscientia dicitur quasi cum scientia, & hæc est Thomæ part. 1. q. 79. art. 13.

§. 2. Induit nonnunquam apud JCTos & Historicos significationem nudæ scientiæ seu cognitionis de re aliqua, in l. 46. ff. de A. vel O. Hær. & Liv. Lib. 3. inquit Consilia inde non in publico, sed in privato & seducta a plurium conscientia habuere. Dicitur si bona sit testis essentiæ Divinæ, inde S. Paulus gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ, 1. Cor. 1. v. 12. si mala præludium inferni, Codex in quo omnia scribuntur peccata, Gerhard. Medit. 33. de Conscientia. Nos per conscientiam intelligimus cum Apostolo Rom. 2. v. 15. Opus quod gentes ostendunt scriptum in cordibus suis.

§. 3. Et sic describitur à Struv. Syntagm. Iur. Civ. Exer. 2. th. 13. quod sit dictamen practicum intellectus à Deo inditum, homini præscribens quid faciendum quidve omittendum, & Bald. in l. 10. ff. d. I. & I. dicit conscientiam Iudicium mentis, consonans in quodam naturali Iuri alienumque aliquatenus à rigore ac subtilitate Iuris.

§. 4. Constituitur à philosophis moralibus alia theoretica alia practica, illa quæ & consequens dicitur sequitur actiones jam factas, easque contemplatur an bonæ fuerint an malæ, dividunt porrò in, Rectam Erroneam, Probabilem Dubiam & Scrupulosam, sed nos priorem illam divisionem et si per se non improbem⁹ ut minus tamen in rebus forensibus utilem seponimus hanc verò tanquam otiosam, & æquivoci in sua æquivocata suis relinquimus autoribus, ac cum Broch. vol. 1. cap. 3. q. 2. statuimus conscientiam aliam rectam aliam erroneam, prioris ratiocinatio nititur aut Principiis naturæ à Deo inditis juxta illud Paul. Rom. 2. v. 15. aut verbo divino revelato, qui contra hanc agit ædificat ad gehennam c. 13. in med. extr. d. Rist. Spol. Ratio est quia ejus dictamen cum Iure divino & humano exacte debet congruer, his enim si contrariatur est erronea ac Judici maximè vitanda c. 1. de V. S. extr. de dubia conscientia pauca hoc loco monenda essent, quamvis enim hæc æque ac aliæ species verè conscientia dici nequeat & in dubiis quis non dicatur facere contra conscientiam Afflict. decis. Neap. 384. n. 15. nihilominus quomodo in casu dubio conscientia informati debeat inquirendum esset, sed de hoc circa finem mentio fiet.

§. 5. Præmissis his nunc proprius accessurus, quædam de conscientia Judicis suppono 1. Hic rejicimus omnes præconceptas opinio-

nes

46 f. 90

793

nes, quæ in conscientia nec debent nec possunt excitare scrupulum, ratio quia nec naturalibus principiis nec verbo Dei revelato nuntiatur. (2). Eam statuimus vetam Iudicis conscientiam quæ sumitur ex fonte Legum nam conscientia legis vincit conscientiam hominis. *Afflct. decis. 321.* . 1. (3.) Leges civiles per consequens seu indirecte in conscientia obligare nulli dubitamus, jubemur enim ex necessitate esse subditi non propter pœnam solum sed & propter conscientiam, & qui resistit magistratui resistit ordinationi divinæ. *Rom. 13. v. 1. 2. 3. 4. &c. Scherzer. System. Theolog. Loc. 26. de Magist. Pol. Hunn. de authorit. & interpret. Iur. cap. 1. q. 2.* Hinc infero conscientiam quæ non procedit de sinu ac utero legis esse erroneam *Treutl. Vol. 1. disp. 12. th. 14. lit. E.* Et si Iudex ex ea procedat contra legem perniciose errat & peccat, cum ipse sciat ac debeat scire ex legibus conscientiam esse informandam vid. *Calixt. in theol. Moral. §. 6.* Rectissime igitur infero, completa ac perfecta præscriptione rem præscriptam salva conscientia posse retineri licet superveniat scientia rei alienæ. *Levit. c. 25. v. 29. Iud. II. v. 26. c. fin. extr. de Præscript. l. 2. ff. de Itr. & Actu. l. 11. ff. de A. vel A. P. superveniens enim m. f. non nocet, nequidem in foro conscientiae* *Gloss. in c. si virgo. 34. q. 2. Abbas. in c. Vigilanti de Præscript. Cravet. Consil. 425. n. 25.* Sic testamentum imperfectum heredem in foro conscientiae non obligat. *Covarruv. tom. 1. n. 11. p. 481.* actus enim testandi subjacet legibus civilibus adeoque contra illas factus est nullus *Struv. Exer. 32. th. 16. Menoch. de Præsumt. lib. 1. q. 80. n. 28.* sed hæc extra metam, conclusum formo ex dictis, quod ea quæ legibus ac statutis nec divino nec naturali juri contrariantibus sancta sunt, conscientiam Iudicis reddant securam *Alex Conf. 218. n. 5. lib. 7.* tum quod Iudex ex iis teneatur suam conscientiam informare, cui rei felicius peragendæ causa præter salem conscientiae insuper & salem scientiae requisivit *Iason. post Bald.* quem refert in l. certi Iuris 17. C. de Iudicis. Et quidem conscientiae, quia ea est potissimum in Judice & recte dicitur angelus præsidens vita humanæ à Bald. in l. si innutiliter C. de fidelicom. scientiae verò tanquam necessarii in debita Legum interpretatione ac applicatione occurritis.

§ 7 At videamus quomodo Iudex ex præscripto conscientiae leges interpretari & applicare possit, ante omnia navet operam vero earum sensui indagando l. 17. ff. de LL. in quo labore juxta consilium Imperat. vitanda videtur nimia subtilitas seu scrupulositas l. un. C. ut act. ab hæred. & contra simplicitas enim LL. dicitur amical l. 19. §. 3. ff. de V. O. §. 7.

A 3

Inst. de

de fideicom. hered. ac conscientiæ non convenit de apicibus Iuris dispu-
tare Bald. in l. un. C. de confessis. in 2. col. n. 6. v. & situ quaris. Cons. Argent.
Vol. 2. Cons. 2. n. 191. Quod si tamen subtilitas sit veritatis investigati-
va necessaria est, unde commendatur in c. 4. extr. deferius in fin. Notissi-
mum est triplicem esse LL. interpretationem, Authenticam quæ à ne-
mine fieri potest quam legislatore l. f. §. 1. C. de LL. usualem, quæ fit
ipsa consuetudine l. 34. & 37. ff. d. LL. l. 34. ff. de I. & I. Doctrinalem
denique quæ magis hujus loci est, fitque ab JCto vel extendendo vel
restringendo vel declarando, inducitque saltem probabilitatem, vim
legis enim ipsi tribuere non possumus, nisi etiam legem imitetur &
cum ipsa locuta fuerit l. 6. §. 1. ff. de V. S.

§. 8. Ponamus aliquas cautelas in hac interpretatione conscientio-
 so Judici necessarias fiat legis interpretatio ita ut vitio careat (h. e.) se-
 cundum rationem & Iustitiam l. 11. ff. de LL. ne quis laedatur injuste l. 2. §.
 10. ff. Ne quid in loc. Publ. ille legis sensus regulariter præferatur qui est de
 Iure comuni ei qui est de jure speciali arg. l. 6. C. de test. mil. Ex qualita-
 te personarum ad quas est disposita & à quibus lata l. 18. §. 1. ff. de Iudic.
 l. 16. §. 3. ff. de Pen. præferatur ea interpretatio quæ est benignior & tu-
 tior, si plures conjecturæ de sensu alicujus legis habeantur, si sint con-
 trariæ, ea quæ magis efficax & clarius eligenda est, & ex cuius opposi-
 to sequatur injustum vel absurdum, si conjecturæ sint similes tum effi-
 caciō erit illa interpretatio quæ magis convenient intellectui, rebus &
 scripturæ. Bald. circa ration. test. in l. conventicula 15. C. de Episc. & Cler.
 A propria verborum significatione non recedatur, nisi contraria legis
 mens appareat. l. 69. ff. de leg. 3. unde si sententia & verba legis forte
 ob aliam legem videntur contraria concilianda potius quam corrigen-
 da, l. un. C. de Inoff. Dot.

§. 9. Pauca hæc de LL. interpretatione, addamus æque compendio-
 se earum ad factum aliquod applicationem, fiat ea secundum verita-
 tem & æquitatem simulac enim Judex plene de facti specie edoctus
 (de quo ante omnia sit sollicitus l. 52. §. 2. ff. de L. A.) applicet ipsi Jura
 ex veritatis præscripto, prout factum requirit l. 6. §. 1. ff. de Off. Præf.
 l. 5. C. de Iur. & fact. Ign. ut enim verum a falso secernatur Jura volunt
 l. 1. ff. de I. & I. præsertim in foro conscientiæ, quippe is omnem dolum
 & apparentiam rejicit c. 1. de V. S. pr. ext. quapropter judex præfe-
 rat obedientiæ voluntatis veritatem, cunctaque rimando rerum or-
 dinem inquirat. 30. q. 5. c. II. Reink. de Reg. sec. & Eccles. lib. 2. class. 12.
 c. 12. n. 13.

§. 10.

467

§. 10. **Aequitatis insuper & habeat rationem**, cuius amantem esse est exemplum DEI l. fin. C. de Don. Int. Vir. & Vx. DEo autem tanquam supremo Judici omnis inferior debet assimilari. Hinc sumendum illud Ius quod æquitati magis innititur Cravett. consil. 135. n. 37. Bald. Cons. 211. lib. 4. Et Hypol. de Marsil. p. 753. concl. 659. & p. 169. concl. 689. vult. æquitatem scriptam rigori scripto præferendam, quo nihil aliud videtur statuere, quam mitiora & benigniora jura præferenda, theoreti enī accuratores, æquitatem scriptam formaliter consideratam non concedunt eo ipso enim dum lex aliqua præ alia videtur mitior materialiter quidem dici potest æquitas cum tamen quoad formam nihil sit quam Lex Treutl. disp. 1. th. 2. lit b. ibique Bacchov. Syyendorff. ad Eck. tit. ff. de Iust. & Iur. §. 28. **Aequitas autem in Judice desiderata legibus** debet adjuvari Gail. 2. Obs. 23. n. 26. Cons. Argent. Vol. 2. Cons. 73. n. 11. his enim nisi in quæstione de æquitate inhæreatur perniciose saepe erratur, ut ait Paul. l. 91. §. 3. ff. de V. O. & certe si quilibet Judex secundum imaginariam æquitatem mitiora jura fingere vellet, nihil certi esset in jure Reink. d. l. n. 39. Notat tamen Card. Tusch. concl. 311. n. 27. lit. F. quod si jus scriptum in thesi consideratum in singulari aliquo casu ob alias circumstantias ab æquitate naturali recedat, licite id quod æquius videtur præferri, lex enim naturalis autoritate præcedit non naturalem, si etiam lex plane deficiat potest decerni, quod bonum & æquum est. Specul. l. 1. part. 1. §. 1. n. 3,

§. 11. Sufficiant hæc tanquam generaliora, ad alia properamus. Vulgata est fori distinctio, in exterius & interius, quæ certe non solum ad partium sed & ipsius Iudicis conscientiam informandam aliquid contribuit dummodo eam utrinque accuratius perpendere velint, nam multa in foro externo apparent justa, quæ forum internum reputat injusta, non enim in judicio humano de eo sententia fieri solet, an intentio alicujus sit pura & recta, vel malitiosa sed de his tribunal conscientiæ judicat, Lud. Molinæ: tract. 1. de Iust. & Iur. disp. 2. n. 6. hinc multa in judiciis probantur propter imminens majus aliquod malum vel propter præsumptionem aliquam, quæ respectu agentis vel tertii est falsa, ratio est, quia de occultis nemo potest judicare, & recte inquit Paulus l. 30. ff. de testam. tut. saepe alicui non jus sed probationes deficere, cum autem Iudici de hoc constare non possit sequitur in iusta causa, quempiam posse succumbere. Verum & huic malo Iudex aliquantum remederi potest, partibus antequam ad processum admis-
sæ, dictam distinctionem accuratè explicando, tum rationes ipsarum
accu-

734



accuratius perpendendo, num sufficientes sint non solum ad agendum jure & coram hominibus, sed & salva & illæsa conscientia saepe enim partes hebetioris ingenii ignorant se iniquam sectari litem, saepe etiam & forte frequentius malitia ac avaritia instigati falsas actiones movendo & varia subterfugia in judiciis quarendo, suam laedunt conscientiam. *Consil. Argent. Vol. 2. Conf. 96. n. 19. Brunnenm. Proces. Civ. cap. 1. n. 12. 13. & seqq.*

§. 12. Quod si autem partes utrinque ad agendum sufficientes habeant rationes, vel si ad minimum in hoc foro tales appareant conscientiosus Iudex studeat eas ad concordiam reducere, & ad hoc de iure est obstrictus *l. 20. ff. de R. C.* quod & confirmatum in Nuperissimo Recess. Imp. §. es soll der Richter erster instanz &c. ex quibus textibus liquet judicem saltem suadere transactionem non autem eam imperare posse, nisi subsit metus scandali tum enim partes ad concordandum compelli possunt *Menoch. Lib. 2. A. Q. cas. 442. n. 8. & seqq.* Imperator etiam vel absolutus Princeps ad compromittendum partes cogere vallet, ex justa causa, præsertim si lis diu durasset essetque intricior vel rationes pro & contra pares, ut post multos DD. testatur *Matt. de Afflict. decis. 149. n. 6. Lud. Roman. Conf. 126. in pr.*

§. 13. Vix autem verendum erit, Iudices aliquos, partes sine causa ad transfigendum fore compulsuros, cum contra *l. 13. C. de Iudiciis*, lites potius exoptent immortales, tot inanes dilationes & moras necendo, quo ipso sane nil aliud agere videntur, quam justitiam studiosè protrahendo ex parte quoque negare, & occasionem sumtuum indies accrescentium studio ministrare, ut saepe sortem & caput exce- dant, *Ames. de Conscient. L. 5. c. 54. q. 6.* Deplorat hanc litium protelationem, *Carpzov. Part. I. def. it const. I. & Anton. Fab. in suo Codice Lib. 9. t. 22. def. 1.* Pium autem consilium ad earum abbreviationem suppeditat *Calixt. Orat. Miscell. p. 48.* qui potest adiri.

§. 14. Frustra si concordia tentata fuerit aliterque lis componi non possit aperiat Iudex aditum ad Processum, ubi præcipue Iustitiam colat, secus faciens Iudicis nomen non meretur *Can. 1. 23. q. 2. 2. paralip. c. 19.* Et grande delictum est Iustitiam denegare *Conf. Argent. Vol. 2. conf. 58. n. 24.* ideo iudex malitiosè eam saltem differens punitur *l. properandum C. de Iud.* proque ea vice sua jurisdictione privatur *Blum. proces. Cam. tit. 37. n. 22.* Imo nec Princeps potest Iustitiam denegare suis subditis, unde etiam à superiori aliquo propterea eum puniri posse tradit *Alex. Conf. II. n. 9. vers. si denegat lib. 1.* sunt tamen casus in quibus Iustitia li-

cite

cite denegari potest, Vid. Boer. decis. 326. in pr. Tusch. concl. 494. lit. I.

§. 15. Impediunt s^epe justitiam, dona & corruptiones, quæ exco^ccant etiam prudentes & subvertunt verba iustorum Exod. 23. v. 8. quapropter sententia emta est ipso jure nulla Math. Matheſil. ad l. 7. C. quand. prov. l. un. C. d. Contract. Iud. quod etiam extenditur ad sententiam justam & æquam Brunnem. add. l. 7. Num ergo nullo modo Judici aliiquid accipere liceat, controversum est. Affirmativam in foro Conscientiæ tutissimam judicat Brochm. tom. 2. syst. Theolog. de Magist. Polit. cap. 3. cas. II. & Bruckner. cas. conc. p. 345. q. 46. Quod vero post latam sententiam, munus sponte oblatum Judex possit accipere defendit Balduin. Lib. 4. cas. conscient. c. 12. cas. 9. & Hipp. de Marsyl. Sing. 190. n. 3. Optimum videtur, distinguere cum Mynsing. cent. 2. obs. 75. An statutum prohibeat vel permittat, priori casu nec munus sponte oblatum post finitam litem potest recipi l. I. C. publicæ Lætit. vel consil. posteriore vero, nimis statuto vel rationabili consuetudine id probante, quidni salva conscientia munera possint recipi Boyer. in Verb. Iudex. n. 8. præsertim si ob laboris remuneracionem & grati animi demonstrandi causa post latam sententiam offrantur, & inhumanum esse dicit à nemine accipere Specul. tit. de Salar. n. 5. adde Myns. d. I.

§. 16. Valde etiam personarum acceptio obesse solet Iustitiæ, constitit ea in genere, divitiis, amicitia, & potissimum in potentia quis enim ignorat Magnatum preces præcepta dici, recensentur communiter quatuor affectus qui Judici multum negotii facessunt in c. 4. 2. q. 3. his versibus inclusi.

Quatuor ista timor odium dilectio census.

Sæpe solent hominum sanos pervertere sensus.

Collimat huc c. I. in 6to. de sent. & Re Iud. ubi mentio fit de conscientia non lædenda sed de his, hinc & inde divulgati commentarii candidum Judicem satis informare possunt sufficit proinde LL. omnibus æqualem promittere Iustitiam, tam indigenis quam exterris tam amicis & conjunctis quam ignotis, casum enim pro amico cum Treutlero non agnoscimus Vol. I. Dis. I. th. I. nec concedendum Iudici, parti alicui prolubitu gratificari, sed citra ullum conjunctonis & amicitiae respectum, pronunciet pro ea parte pro qua est Iustitia, quamvis etiam casus sit ita incerti ac intricati Iuris, ut primâ facie non ita constet, cuius rationes præponderent (quod tamen raro con-

tingit) alia enim, ipsi subinde suppetunt media quibus talem casum definire potest e. g. transactio imo ut jam supra monitum partes dicto casu cogi possunt ad amicabilem conventionem juxta Tessaur. dec. 206. decis. 89. Nec inter Iudaeum & Christianum Iudex constitutat differentiam, Iudei enim à participatione LL. civilium non in totum excluduntur ipsique in bonis vel persona si quiete & secundum leges vi possunt offendit Bald. Cons. 316. per tot. lib. 1. l. 8. & 4. C. de Iudeis & vint non 22. q. 8. c. 11. Melioris autem conditionis quam Christiani quoque non sint, habendi enim sunt, tanquam servi & impium esse dicit Dede Kenn. Thesaur. Cons. Theol. & Iurid. Vol. 2. sect. 6. p. 125. in Causis debitorum, Christianum debitorem, in gratiam Iudei creditoris, incarcetari affligi angi & urgeri, sed quicquid sit gloriantur ipsius Iudei quod muneribus suis Christianorum Magistratum oculos excœcent Ernst. Ferdinand part. 3. cap. 5. lubet huc scribere verba Dede Kenni supra dicto loco: Horibile Iudicium sibi persuadeant magistratus qui acceptis muneribus quoquo modo Iudeis patrocinantur pluris facientes execrabile aurum, quam Redemptoris sui honorem &c. haec ille. Alioquin statuunt autores hinc & inde Iudeis Rigorem non verò æquitatem servari quod aliquo modo ad dicta potest referri Bero Consil. 28. n. 39. lib. 3. & Consil. 134. n. 12. & 19.

§. 17. Quæstio hic moveri potest, an in iis quæ Iudicis arbitrio relictæ sunt certis personis non possit faveri, quod recte negatur in omnibus in quibus litigantium interest, licet LL. non sint definita, Ames. de conscient. lib. 5. cap. 5. q. 7. Faveat igitur Iudex iis, quibus LL. favorem indulgent. Nihilominus tamen Interpretes dicere consueverunt, expedit propitium habere Iudicem! Rip. in repet. l. 2. ff. de flum. n. 60. Iaf. in l. 74. ff. de Iudiciis, Ethoc in terminis habilibus verum est Abbas in c. consuluit. de Officio de leg. unde errant magnopere advocati, qui in libellis calumniis & aliis irritacionibus Iudices adversus se exasperant.

§. 18. Occasione præcedentis quæstionis de arbitrio Iudicis quoque aliquid monendum erit, suadet Vasq. Controvers. Lib. 1. cap. 1. n. 12. ut quam maxime fieri possit omnia legibus explicitur, judicibus autem non nisi minima, quæ legibus comprehendendi non possunt committantur. Quo casu præsuppono, quod ubiunque alicujus arbitrio res committitur, ibi æquitas & justitia subesse debeat, vid. Dn. PRÆSES in Disput. de Iure Cereo & Ferreo th. 7. & si quis plenissimam

in aliqua causa habeat potestatem, nihilominus arbitrium se non debet extendere ad ea quæ sunt inhonesta Bald. Conf. 379. quando super facto, nec debet extra vel contra Regulas Iuris aliquid decerni Menoch. de Arbitr. Iud. Quest. q. 8. n. 2. q. 9. n. 3. & q. 13. & 14. n. 15. & 1. sed omnia siant per concludentes rationes & probations. Quod si autem statutum aliquod Iudici plenissimam potestatem procedendi ac terminandi, prout ipsi placuerit concedat? Et videtur tali casu omnis Iuris solennitas & figura sublata, resque reducta ad Ius gentium & naturale ex quibus ea propter Index conscientiam informet Card. Tusch. pract. concl. 470. n. 30. & 31. &c. lit. A.

§. 19. Sponte ex jam dictis fluit Iudicem parti jus ex dispositione Iuris civilis quæsitum e. g. Præscriptionem salva conscientia auferre non posse, quamvis etiam habeat plenissimam terminandi potestatem, arbitrium enim etiam plenissimum non ad facta sed futura saltem potest extendi, tum adversaretur æquitati naturali jus quæsitum alicui auferre, notum autem est Ius naturale etiam plenissimum arbitrium ligare; Dissentientium opinio conciliari potest dummodo intelligatur de præscriptione m. f. introducta, quippe cum impium juris præsidium Nov. 9. tit. 4. nec servanda ab ullo pio iudice c. 5. ult. & penult. extr. de Fraser. Rittershus. Different. Iur. Can. & Civ. Lib. 5. cap. 3. in fin. Myns. cent. 4. Obs. 6.

§. 20. De hoc controvertunt, num Princeps non possit tollere præscriptionem affirm. Brunnem ad l. 23. C. de SS. Ecl. cum ea quæ Iure Civili data sunt etiam ab eo possint tolli, & hoc est extra dubium, sed videtur inde male inferri, ergo tertio alicui in specie Ius inde quæsitum licite potest auferri Fachinæ. controversial. Iur. part. 3. tit. 8. cap. 63. & l. 3. C. de Reso. Vendit. l. 5. de Revoc. Don. l. 3. C. de test. &c. Hoc quidem sustineri posset ex vi supereminens Dominii, tum in pœnam, vel cum compensatione maximè verò ob publicum bonum, Principe in subditis jus quæsitum posse auferre Klenc. Inst. Iur. N. & G. ad Grot. de Iure B. & P. cap. 14. q. 9.

§. 21. Cum etiam libera facultas censeatur data in iis, quæ conscientiæ alicujus committuntur, hoc tenendum, quod eo casu nihilominus omnia fieri debeant secundum arbitrium boni viri, secundum Iura & æquitatem, conscientia enim cum legibus ligetur, etiam ex iis debet informari, hinc ex propria & præconcepta opinione nec hic procedi potest Tusch. Conclus. pract. 742. n. 19. & seqq. lit. C.

§. 22. Satis sit pauca hæc de arbitrio Iudicis dixisse, an ergo Iudex nullatenus salva conscientia à legibus potest recedere? Explorati Iuris est Iure Codicis Iudices obstrictos esse Iuramento, de Iudicio deposituro cum veritate, & LL. observantia l. 14. C. de Iudicis. sed videtur per auth. Hodie C. de Iud. id Iuramentum remissum, dicit Brunnem. ad d. Auth. ejus autorem, mentem Nov. 15. ex qua auth. excerpta est, non satis assecutum adeoque errasse; afferitque d. Nov. de omnibus Magistratibus accipendam, & hoc à veritate non absolum si Nov. inspiciatur, non itaque absque sufficienti ratione inducenda est correctio textuum Codicis.

§. 23. Patiuntur tamen dicta quoque suas limitationes si enim iusta causa subsit sine periculo animæ Iudex à legibus potest recedere Vasq. Controv. Lib. 1. cap. 14. n. 4. imo Iurans statuta loci servare ex iusta causa citra perjurii crimen ea potest transgredi, dummodo periculum sit in mora & superior adiri non possit Ioan. Arnono. sing. 8. Myns. cent. 2. Obs. 54. liberatur enim à perjurii pœna, qui necessitate urgente Iuramento contravenit Panorm. p. 2. Conf. 3. n. 5. l. 27. ff. de Manum. testam. ibique Gothofred. Iustam autem causam LL. statutam & consuetudines transgrediendi inter alia suppeditat enormitas delicti Marc. de Mant. sing. 149. Hippol. de Marsil. sing. 244. ubi ad maiores Magistratus hoc restringit ob l. 15. §. 1. ff. Ad. L. Corn. de fals. add. Carpz. pr. crim. q. 149. &c.

§. 24. Juris communis regulas quoque non respicimus cum de irreparabili agitur damno vel præjudicio, exemplum est in appellatio- ne ab interlocutoria, quæ est prohibita. l. 1. §. 2. ff. l. 6. §. 3. l. 21. & 36. C. de appell. nisi inde metuatur gravamen, quod in causa principali red- integrari nequit. l. 2. ff. de appell. recip. ibique gloss. Idem est in Execu- tione in causa criminali, si enim merus executor habeat consci- entiam contra sententiam eam non debet exequi, cum tale damnum esset irreparabile, alias de Iure communi merus executor tenetur exequi sententiam, quamvis videatur ipsi injusta c. 28. §. quia de Off. & potest Iud. deleg. c. 5. eod. l. 6. C. de Execut. Rei Iud. Spectat pariter hoc summa rei publicæ utilitas, ob quam a communibus Legibus recedi notum est. l. 51. ff. de L. & l. 3. C. de Primipil. Imminente de- niique necessitate multa sunt toleranda, quæ alias sunt interdicta & in articulis necessitatis notoriis, LL. licet transgredi, l. 5. §. 12. & 13. ff. de N. O. N. Sit autem necessitas absoluta ac prætexatur in tali casu

casu, qui non est natura turpis, nam natura turpia etiam tempore necessitatis talia permanent. *Eckold. ad ff. de furt. §. 10.*

§. 25. Varii ejusmodi casus annexi quidem possent, verum haec pagellae aliud postulant, quamobrem ad alia ad quae ex officio Iudex bonus obstrictus est properamus. Jam supra dictum litium longas ambages vel parum vel omnino nihil veritati indagandae contribueret, litigantes autem laboribus & impensis gravare, erit igitur judicis officium has litium tricas & ambages resecare, ob quas saepe justissimam causam foventes sumtibus exhausti eam deserunt, cum forte ob litis diuturnitatem ad inopiam redacti media ulterius prosecuendi deficiunt, cui malo tamen aliquantum remederi videtur, *Ord. Cam. p. 1. in tit. 19. §.* Auf daß auch vi cuius §. advocati possunt cogi ad suscipiendas causas pauperum, imo si sine justa causa id detrent officio privari possunt. *I. 7. C. de Postul. Myns. cent. 4. Obs. 32. Gail. 1. Obs. 43.* extendit haec Guid. Pap. decis. 573. n. 3. dicens Iudicem ex officio teneri, parti non habenti unde se defendat, gratis de advocate providere, videri possunt plura ad quae Iudex tenetur, in d. I. 7.

§. 26. In iis etiam quae ad veritatem tum inveniendam tum probandam faciunt Iudex nonnunquam ex officio supplet, sique ex facie libelli appareat aliquid per quod non potest fieri condemnatio pars absolvenda est. *Hypol. de Marsil. sing. 72 n. 3.* & quod magis est, teneatur Iudex circumstantias ex reo elicere, quae ad ejus defensionem & innocentiam probandam faciunt. *Carpz. pr. Cr. q. 113. n. 36. Constit. Crim. art. 47.* Expeditum redditur per haec Iudicem non posse salva conscientia vicennio lapso condemnare facinorosum, quamvis ipse non opposuerit praescriptionem & delictum confessus fuerit, nulla enim amplius de eo contra ipsum datur actio, *I. 13. ff. de Interrog. in Iur.* sed praescriptio tollit eam ipso Iure, & idem est quod satisfactio, unde nec inquisitio hic admittenda. *Carpz. pr. Cr. p. 3. q. 141. n. 29. I. 17. §. 6. ff. de Injur. I. 12. C. de Fals. Dissent. Myns. cent. 4. Ob. 35.* Supplet igitur Iudex in Criminalibus & iis, quae ad publicam tendunt utilitatem. *Bart. q. 14. v. contra col. 2.*

§. 27. Sed num in civilibus Iudex potest supplere, & agentem contra quem, excipi potest, ex officio repellere? Distinguit Tusch. *Concl. pract. 397. n. 53. I. 1.* Aut constat actorem non habere actionem, sed agere de facto actione ipso jure nulla, & Iudex supplet

quamvis reus non proposuerit exceptionem facti : Aut actio ipso iure non est sublata, sed ope exceptionis tollitur, & tum exceptio illa inest actioni vel in continent, vel ex intervallo, priori casu Iudex supplet, posteriori, ejus nulla habetur ratio, si non a parte opponatur, excipit unicum casum, si altera pars locupletaretur cum jactura alterius, Bart. in l. si unus §. pactus ne peteret. ff. de Pact. n. 20. quo indistincte debet supplere Iudex, quia nemo potest locupletari cum jactura alterius. Optimum videtur hanc quæstionem ita expedire. Iudex supplet in iis, quæ sunt Iuris, non vero quæ sunt facti, cum ea non possit divinare, Bald. ad tit. C. ut que desunt Advoc. part. &c. n. 6. n. 11. & 12.

§. 28. Spectat pariter ad judicis officium inquirere in sceleratos, inquisitorius enim processus non solum jure licitus sed & mandatus est. Brunnem. Proces. Inquis. cap. 1. n. 2. & seqq. at quanto facilius in eausis vitam & famam concernentibus conscientiae scrupulus potest injici, eo cautius & prudentius in iis procedendum. c. 3. de Eccles. in 6. add. Const. Crim. art. 1. & sufficienes sint rationes ad viam inquisitioni aperiendam, nunquam autem per meras conjecturas ad eam procedendum Menoch. de Pres. lib. 1. q. 88. n. 21. In decernenda tortura Iudex sit & que cautus, & in hoc punto suam conscientiam salvare volens est immunis ab omni periculo, extant enim non solum tot Doctissimorum Iutorum consilia, ex quibus se informare potest, sed & secundum Ordin. Crim. art. fin. proprio decreto torturam decernere ipsi inhibitum est, nisi hoc insuper approbaverit Collegium aliquid Iuridicum. Incarceratorum denique Iudex habeat humanam rationem ita tamen prout delicti qualitas id postulat. l. 1. C. de Cust. Reor. l. 2. C. de Exhib. & transmitt. Reis.

§. 29. Pauca adhuc de sententia ferenda restant, quamvis enim nihil vere de officio iudicis dictum sit, id tamen eo facilius excusari poterit, cum non solum integri commentarii de utroque processu extent, sed & ea saltem huic dissertationi inserere proposuerim, quæ potissimum conscientiam iudicis tangunt, omnia enim incidentia huc referre, in totum Volumen ex crescere. Observatis itaque iis, quæ ordo judicarius requirit, ferat Iudex sententiam, claram & certam §. 22. de Act. conformem libello ac petitio- ni quantum fieri potest, secundum leges ac statuta, conscientiam &

am & æquitatem auctb. ad bac si. C. de Iud. l. 13. C. de sentent. l. fin. §. fin. C. de Appell. æquitas autem non semper mitiorem sed prout circumstantiae suadent etiam nonnunquam duriorem sententiam desiderat. Grot. in tr. de Äquitate. cap. 1. n. 10. Dixi secundum leges esse judicandum, & secundum conscientiam, ex iis enim debet informari, hinc illa quæstio: Si acta & probata pugnant cum conscientia, num contra conscientiam vel contra acta & probata debeat judicari? Certissimum est neutrum horum debeat fieri, nam si acta & probata Judex invenerit vera secundum ea judicet, si non, ex officio rejiciat, sunt enim ea media ad veritatem inveniendam, contra veritatem igitur certò notam nihil debet apud quenquam valere, sed judicatur hoc casu pro parte adversaria, cuius probata sunt vera, notum quoque est ex falsis instrumentis & testimoniosis nullam procedere condemnationem, acta & probata vero contra certissimam alicujus scientiam utique sunt falsa, qualis autem esset sententia, quæ secundum ea feretur, quare recte dicit Bacchov. ad Treutl. Disp. 12. th. 14. Veram conscientiam cum actis & probatis, quibus nihil objici potest pugnare rarissimum esse contingens, igitur hæc quæstio ita decidenda, quod nunquam debeat Judex sententiam ferre contra conscientiam, nunquam etiam contra acta & probata dummodo vere talia dici possint. Reink. de Regimin. sec. & Eccles. lib. 2. class. 2. cap. 12. n. 15. & 16. Corras. 4. Miscellan. 20. Hotomann. Illustr. qu. 27.

§. 30 Contingit tamen nonnunquam Judicem secundum solam conscientiam judicare ut in casu cum partes prorsus nihil probarent, exemplum est in causa taxationis interesse ubi si nihil in quantitate fuerit probatum Judex ex præscripto conscientiae illud potest taxare Bald. Conf. 270. n. 11. vers. potest etiam Lib. 1. super notoriis quoque potest secundum conscientiam judicari quamvis etiam nihil probatum fuerit, notorium enim est quod se ipsum ostendit, nec necesse est ut ostendatur ab alio l. 1. ff. de Rest. in integr. vel quod nullam recipit dubitationem Menoh. Conf. 881. n. 88. restringendum tamen ad notorium facti permanentis, nam notorium facti transeuntis semper indiget probatione Bover. sing. 45. voce Notorium in arbitrariis quoque Judiciis ubi leges nihil disposuerunt rectè judicatur secundum conscientiam, ideo an confessio rei fuerit meticulosa

BCH

losa propter tormenta vel spontanea statut conscientiae Iudicis; Tusch. concl. pract. 398. n. 32. lit. I. Si etiam Iudici per statutum vel rescriptum data fuerit plenissima potestas procedendi ac terminandi prout voluerit, judicare potest ex conscientiae ductu, tum enim res videtur reducta ad jus Naturale & Gentium, & Iudex non amplius obstrictus ad solennitates Juris Civilis, quo tamen casu ut & omnibus aliis ubi ex conscientiae dictamine pronunciare permisum est, id informandum tum ex jure divino tum naturali & gentium. Summus etiam Princeps secundum conscientiam potest judicare. Consil. Argent. 30. n. 101. plures ejusmodi casus ponit Aretin. in. §. si minus Inst. de Action. Iason. in §. sed iste quidem n. 110. d. t. Felin. in cap. Pastoralis. §. quia vero de Off. deleg.

§. 31. In criminalibus denique Iudex sententiam latus maximae conscientiae rationem habeat, ubi luce meridiana clariora indica & probationes requiri notissimi Iuris est, nec blandiatur sibi Iudex quod eum semper salva conscientia condemnare possit qui delictum confessus est, quamvis enim propria confessio sit sufficiens & indubitata probatio l. fin C. de fideicom. l. i. & tot. tit. ff. & C. de Confess. Multi tamen dantur casus praesertim in criminalibus quibus confessio, quoad plenam probationem vel ordinariam pœnam imponendam non nocet confitenti l. i. §. 17. ff. de Quæst. §. 23. & 27. ead. leg. sic confessio sine causa facta nec in civilibus nec in criminalibus præjudicat, idem est in ea quæ incidenter facta Hippol. de Marsil. sing. 329. qui plures ejusmodi casus recenset.

§. 32. Quod si autem reus sufficienter fuerit convictus, ut secundum l. 16. C. de Pœn. vix sufficiat, ea quæ commisit negare, injungat ipsi pœnam prout legibus ac statutis est proditum, facti enim quæstio est in arbitrio judicantis pœnae vero persecutio legi reservatur, ut Marcianus, l. i. §. 4. ff. ad Sctum. Turpili. 15. pr. ff. ad Municip. nisi justa aliqua vel minuendi vel augeandi pœnam subsit causa l. 3. C. ex Quæst. caut. nitam. l. 13. §. 1. ff de His qui not. infam. tum enim à communi quoque opinione licet recedere Grat. Cons. 88. n. 5. Vol. 2. Imo si causa aliqua sit honesta & legibus approbata Iudex salva conscientia secus agere nequit. Oriuntur ferè causæ mitigandi & exasperandi pœnas ex conditione, Personæ, causæ, loci, temporis, qualitatis, quantitatibus & eventus, de quibus in l. 16. §. 1. & seqq. ff. de Pœn. & singu-

singulatim Brunnem. ad parat. VVeseyb. tit. de Pœniis q. 36. Tiraq-
in tractat. de pœn. temp. restringenda tamen est hæc potestas ad eas
saltem pœnas, quæ ex lute positivo dependent, nam quas lex Divi-
na determinavit in iis neminem mortalium dispensare posse ejus
autoritas dicitur.

§. 33. Hinc patet peccare Judices, qui convertunt pœnas dicto
Iure capitales in pecuniarias, sub prætextu ærarii augendi quod &
aperte contrariatur l. 8. §. ult. C. ad L. Iul. de Vi pub. l. 3. in f. C. Ne
Sacr. Babt. deplorat hanc intempestivam lenitatem præsertim in pœ-
na adulterii Petr. Heig. part. 2. q. 29. n. 18. & alii passim. Quod si lex
vel statutum aliquod admittat arbitrium Judicis circa pœnam im-
ponendam, an salva conscientia ad mortem usque extendi potest, di-
cit Fachin. contr. Iur. part. 3. Lib. II. cap. 45. hanc quæstionem extra
omnem controversiam dummodo distinguatur, an delicti gravitas
mortis pœnam requirat vel non & sic explicandæ leges quæ in hanc
vel illam sententiam allegantur adde. Math. Matthesil. sing. 48. in ad-
dit.

§. 34. Unicum hoc loco non videtur prætereundum an Judex
salva conscientia punitorum hæredes ad damnum dolo delin-
quentium datum resarcendum astringere possit. Et hoc optimo
Iure fieri posse testantur Farinac. Consult. Saxon. lib. 5. q. 137. n.
21. & seqq. Moller. ad Conflit. Elect. 12. part. 4. n. 3. & 4. si enim ex
uno delicto plures actiones nascantur ad diversum tendentes finem
omnibus experiri licet l. 32. & 34. in pr. ff. de V. O. l. c. pr. Arb. furt.
Et sic a Scab. Lips. judicatum refert Moller. d. l. n. 7. alii limitant ut
procedat hæc sententia si reus mortuus sit antequam pœnam per-
pessus fuerit. Alii simpliciter negant, dicuntque affirmativam peri-
culosam Berlich. conclus. 19. n. 38. Heig. part q. 23. n. 17. quod qui-
dem ut æquius admitterem eo casu si nihil ad hæredes pervene-
rit.

§. 35. Reservavimus huic loco aliqua de Conscientia dubia,
cui qui se obstrictos esse sentiunt, sæpe mediis inde se vicis-
sim liberandi destituuntur. Bald. Conf. 343. dicitur alias cum
intellectus neutri contradictionis parti assensum præbens an-
ceps hæret, quid faciendum vel non. Nam illa quam di-
cunt dubiam speculativam, verè talis non est. & potest quis ea ma-
nente agere, e. g. possidet aliquis s. f. fundum, incipit dubitare,

C

an

an sit suus, si non sciat esse alienum, jure potest retinete, quia in pari causa melior est conditio possidentis, ex alia vero quam etiam dicunt practicam non possumus procedere sine labe peccati, id enim de quo dubitamus, an Deo sit gratum vel non agere non possumus, nec agit talis ex conscientia, quia nullam habet, studeat igitur Iudex hoc casu, ut incertitudinem expellendo dubium depo-
nat, *Ames. de Conscient. lib. 1. cap. 5.* cui rei inserviet, si recurrat ad ipsum verbum divinum, plerumque enim ob peccata rerum dubia solvi nequeunt, notante. *Afflct. decis. Neapol. ult. inf.* potest etiam eo casu cum aliis conferri eorum consilia explorando, quo facto potius absolvendum quam condemnandum *c. 3. de prob. l. 5. pr. ff. de Pæn.* eligenda semper ea via, quæ animarum saluti est tutior. *l. 43. ff. de Relig. c. 5. de cler. excom. & depon.* & quæ minus habet captio-
nis & securior est. *Vasq. controv. lib. 1. cap. 14. n. 12.*

§. 36. Si tandem præsumtio aliqua militet pro altera parte, pro ea judicandum est *Ludvv. de R. l. 36. n. 5.* tum enim jamdum cessat dubietas, quia conscientia ad alteram partem propter rationem aliquam probabilem se determinat, dicitur alias talis conscientia probabilis, cum ejus rationes non sint evidentes & necessariae, sed probabiles tantum cum formidine oppositi, ac in hoc differt a conscientia recta, nequit tamen iudex contra eam agere, quia potiorem rationem spernendo se peccandi periculo exponit, *König. Cas. conse. pag. 8 in proœmio.* En talem casum in fure rupto laqueo de patibulo decidente, habet iudex utrinque rationes, ut dimittat, & ut vicissim curet suspendendum, probabiliores tamen sunt, ut de-
nuo suspendatur.

§. 37. Ansam hic nobis summa liceret de præsumtionibus ali-
quid movere, verum instituti ius id vetat, hinc non solum iis sed & aliis quæ forte huc applicari possent, lubens supersedeo ac totius disputationis filum abrumpens, id unice voveo. ut *Summus Ieho-va* Iudex Iustissimus dignetur omnium animos dirigere, ut ita ju-
dicient, sicut se in summo Iudicio judicari exoptant.



COROL-

COROLLARIA.

Petitorium & possessorium cumulari possunt.

Pupillus neque naturaliter obligatur.

Usucapio est Justus acquirendi modus omni Jure.

Donatio omnium bonorum Jure subsistit.

Crимина præscribuntur vicennio.

Legatum rei alienæ subsistit Jure Canonicō.

Contrahitur affinitas ex illegitima coniunctione.


Legitimi per subsequens matrimonium in regnis & feudis succedunt.

Decimæ præscribi possunt.

In Feudis Jus accrescendi locum non habet.

F I N I S.







Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-538213-p0029-1

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-538213-p0030-2

DFG



SK

K77



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



1686. 4
JURIDICA INAUGURALIS,
DE SCIENTIA
D. C. I. C. I. S.
736. 5
QVAM
DIVINO NUMINE
TO ET AUTHORITATE
C. AMPLISSIMI JCTORUM
VETUSTA ATQVE CELEBERRIMA
ACADEMIA HEIDELBERGENSI
PRÆSIDIO
IMI, EXCELLENTISSIMI AC
CONSULTISSIMI
. WOLFGANG.
XTORIS,
ORIS JURIS ET CONSILI-
CTORALIS PALATINI
PRO
TROQUE JURE HONO-
ILEGIIS RITE CAPESENDIS
ruditorum Examini subjicit
IANUS ELWERTUS,
nio-Nassoius.
DC LXXXVI. h. l. q. f.
EIDELBERGÆ,
ERGMANNUM, Walterian. Heredem,
& ACAD. Typogr. 19
33